

1504
*Isabellæ ,
 Hispaniæ
 reginæ obi-
 tus
 VI. kal. de-
 cemb.*

1505
*Herculis
 Ferrarien-
 sis mors
 VII. kal.
 febr.
 Germano-
 rum domus
 incendium,
 & restitu-
 tio.*

nerunt , Isabellam reginam Ferdinandi uxorem , magno animo excellentique virtute fœminam , e vita excessisse : ejusque generum Philippum Maximiliani filium , in Belgis regem , testamenti tabulis permagna Hispaniæ terræ parte auctum fuisse . quibus duabus de causis Vincentius Quirinus , vir in philosophiæ studiis clarus , ad Philippum legatus a Senatu lectus est , ut illi & de focrus morte reipublicæ molestiam ostenderet , & de regni accessione gratularetur . Pauloque post Hercules Ferrariensium dux item moriens Alphonso filio regnum reliquit . Erat in celeberrima urbis regione ad Rivumaltum domus reipublicæ perampla , quæ antiquitus a Germanis mercatoribus incoli consueverat : in eam illi cujusque modi res , quas quidem vendere cuperent , advectas suis ab oppidis inferebant , & civitati emendas proponebant : quasque in urbe ipsi coemebant , ut in Germaniam conveherent , eodem congerebant , quoad essent deportandæ . Ea domus , ut erat mercium omnis generis plenissima , insequentis anni initio magna cum plurimorum honestorum hominum jactura conflagravit : quam tamen domum illo ipso anno civitas a fundamentis , fornicibus inædificatam , ne ignis nocere posset , magnificentiore multo forma commodioreque restituit . Ejusdem initio anni Bartholomæo Liviano , qui a republica peracto stipendiorum tempore , Patribus non permittentibus discesserat , ut illatas suæ in primis genti , reliquisque Romanis principibus ab Alexandro atque ab Cæsare cædes & vastitatem vindicaret , Hispaniæque regum militiam fecerat , iterum recipi postulanti , præfectura equitum , cum stipendio annuo librarum auri centum quinquaginta , est a Senatu data .

Cumque Cefenæ , Forilivii , Forique Cornelii legati apud Julium questi essent , se a Venetis magna agri parte spoliatos , angustis uti finibus , atque inopia multarum rerum premi : Julius per Guidum Ubaldum Antonio legato proposuit , si Senatus eos fines sibi restituat , de Faventia atque Arimino se deinceps verbum non facturum , reipublicæ oppida illa in omne tempus uti retineat , permissu-